

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti respectu animæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

*De Sacram. Extr. Vnct. Cap. III. 231*

Ques. 4. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti respectu animæ.

Resp. Quatuor sunt. Primum locum videtur obtinere gratia sanctificans, quod ei cum reliquis Sacramentis commune est; quod definitum fuit à Concilio Tridentino, his verbis:

*Si quis dixerit Sacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos: Anathema sit.*

Concil. Trid.

dent. sess. 14<sup>a</sup>

Can. 2<sup>a</sup>

Secundus ejus effectus est, arma viresque dare, quibus fortiter resistere possimus insultibus quos dæmon communis generis nostri inimicus inferre solet in extremis laborantibus; quanquam enim per totum vitæ tempus omnia quæ possit ad nos perdendos adhibere soleat media, tum potissimum artes omnes suas & astutias hic serpens exercet, ut nos in peccata præcipites agat, in hoc ultimo vitæ discrimine: conatur enim nos in desperationem impellere, & fiduciam illam nobis eripere, quam in paterna Dei misericordia collocare debemus; *Quocirca idem Concilium Tridentinum ait: Aegroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordia fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.*

Tertius effectus Sacramenti Extremæ-Uncionis est, delere peccata venialia, & etiam mortalia, quando aegrotus veram eorum concipit contritionem, & facultatem non habuit ea confitendi: Idecirco beatus Jacobus Apostolus ait, *Et si in peccatis sit, scilicet infirmus, remittentur ei: Et, ut ait Concilium Tridentinum ibidem: Delicta si qua sint adhuc expienda, ac peccati reliquias abstergit. Quod quidem, secundum Divinam Thomam, intel-*

sess. 14<sup>a</sup> cap. 2<sup>a</sup>

## 232 TRACTATUS VII.

ligi debet tam de mortali quam de veniali peccato, sic enim ait: *Si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.*

Quartus denique & ultimus hujus Sacra-  
menti effectus, qui ei maximè proprius est,  
est animam à reliquiis peccatis liberare; datur  
enim, ut ait Divus Thomas loco mox citato,  
*Contra illos defectus, quibus homo spiritua-  
liter infirmatur, ut non habeat perfectum vi-  
gorem ad actus vita, gratia, vel gloria; &  
hic defectus nihil aliud est, quam quadam  
debilitas & ineptitudo, qua in nobis relinqui-  
tur, ex peccato actuali vel originali: &  
contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc  
Sacramentum.*

Omnis autem hi effectus tam insigne producti à Sacramento Extremæ-Untionis, ex-  
citare debent Pastores, ne quidquam præter-  
mittant vel negligant, ut tale auxilium præ-  
beant infirmis, quando eis magis prodest  
potest ob bonas dispositiones ægroti, neve ex-  
pectent extremum vitæ discrimen, in quo vi-  
mori bi solent ita premi, ut non possint bene se  
præparare ad recipiendas gratias, quæ in ex-  
tremo illo conflictu adeo sunt necessariae. His  
quoque utri possunt rationibus Parochi, ut sibi  
commissos populos adhortentur ad hoc divi-  
num remedium obtinendum, quod adeo illis  
utile futurum est, ut implacabilem suum hos-  
tem superent, & æternæ vitæ aditum sibi pa-  
rent, quæ eorum victoriæ futura est merces  
magna nimis.

*Quest. 5. Quid est Oratio fidei de qua  
sanctus Jacobus loquitur?*

*Resp. Per orationem fidei potest, Primò in-  
telligi Oratio communis, quâ Sacerdos Sa-*

S. Tho, in  
suppl. 3. p. q.  
30. art. 1. in  
corp.